



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente
XI. editas

Luxemburgi, 1739

Anno Decimoquinto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)

causa amplius non proponenda.

Corfinum, ut supra, præposito -- Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, partibus ipsis denuo informantibus, & referente eodem Eminentiss. Corfino stetit in Decretis in omnibus, & causam hujusmodi amplius non proponi mandavit. Romæ 28. Septembris 1714. F. Card. de Abdua -- Ferdinandus Archiepisc. Nicenus Secr.

Præces Procuratoris Gen. Congregationis Lombardiæ.

§. 5. Cum autem, sicut dilectus filius modernus Procurator Generalis dictæ Congregationis Observantiæ Lombardiæ nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiti summopere desideret; Nos ejusdem Procuratoris Generalis desiderio hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta præinserta, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adjicimus: Salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relationum Decretorum.

Clausulæ.

§. 6. Decernentes easdem præsentibus literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, in omnibus, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Congregationis Lombardiæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Novembris MDCCXIV. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

CXXXVIII

Confirmantur quedam Decreta Congregationis particularis, ac Episc., & Regular. de revocatione Decretorum Capituli General. 1703. Congregationis Bethlehemitarum in Indiis Occidental., ejus erectione in Religionem, aliisque nonnullis ad regimen pertinentibus.

Erectionem hujus Congregationis, ejusque Constitutiones vide in Inn. XI. Const. ed. 1687. Mar. 26. P. 11. Erecta fuit in Religionem ab hoc Pontifice Const. edit. 1710. Apr. 3. P. 10. Et Bened. XIII.

Const. ed. 1725. Maii 4. P. 1. confirmantur quedam resolutiones Capituli Gen.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Alias emanarunt tam a Congregatione particulari nonnullorum ex Venerabilib. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus a Nobis specialiter deputata, quam a Congregatione eorumdem Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita ad supplicationem dilecti filii Francisci de Sancto Antonio Fratris expresse professi, ac Prioris Hospitalis, seu Domorum Mexican., Angelopolitan., Oaxacan., & S. Christophori de Havana nuncupat. Congregationis Bethlehemitarum in Indiis Occidentalibus Decreta tenoris, qui sequitur, videlicet -- Cum in asserto Capitulo Generali Congregationis Bethlehemitarum habito Guathemalæ die 12. Decemb. 1703. quamplura edita fuerint Decreta contraria Constitutionibus dictæ Congregationis Apostolica auctoritate erecta anno 1687. confirmatis, adversus prædicta Decreta nomine Hospitalium, seu Domorum Mexican., Angelopolitan., Oaxacan., & S. Christophori de Havana nuncupati ejusdem Congregationis, mediantem persona fratris Francisci a S. Antonio eorum specialis Procuratoris, habito recursum ad S. Sedem Apostolicam, & negotii hujusmodi cognitione remissa ad Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium, & per eam deputata Congregatione particulari Eminentissimorum DD. Cardinalium S. Clementis, Gabriellii, & Parracciani usque, & sub die 12. Aprilis 1709. prodit Decretum tenoris sequentis -- Renovatis Decretis asserti Capituli Generalis in ea parte, in qua sunt contraria Constitutionibus, Apostolica auctoritate confirmatis, serventur omnino eadem Constitutiones & Archiepiscopo Limano pro executione, & convocacione Capituli, cui præsideat per se, sive per alium, cum omnibus facultatibus Sac. Congregationis, & quatenus tunc temporis Archiepiscopus obierit, exequatur, & præsideat Vicarius Capitularis; Quod Decretum sub die 25. Martii 1710. fuit per speciale Breve a Sanctissimo Domino nostro confirmatum; Et postea cum in eadem Congregatione orta fuerit dubietas. An Congregatio Bethlehemitarum esset vera, & formalis Religio, habita de tali dubitatione notitia a fratre Michaeli a Jesu Maria, & a fratre Francisco a S. Antonio, isti recursum habuerunt ad Sanctissimum, ad hoc, ut erigeret Congregationem Bethlehemitarum in veram Religionem, & delegata instantia per Sanctitatem Suam eidem Congregationi particulari trium Cardinalium, prodit sub die 8. Novembris ejusdem anni 1709. Decretum -- Consulendum Sanctissimo pro erectione Congregationis Bethlehemiticæ in Indiis Occidentalib. in veram Religionem cum votis solemnibus emittendis ex integro, etiam ab iis, qui hætenus vota emisserunt in eadem Congregatione: Ita tamen, ut emittentes nova vota prius certioventur de inefficacia præcedentium Votorum ad constituendos eos veros Religiosos -- Quod Decretum fuit a Sanctitate Sua approbatum per aliud Breve expeditum die 3. Aprilis 1710. Comque sub prætextu, quod P. Rodericus a Cruce assertus Præfectus Generalis Ord. Bethlehemitarum non fuerit auditus in supra relata Propositione habita coram dicta Sac. Congregatione deputata Serenissimus Rex Hispaniarum Philippus V. rentis dictis Brevibus remisit Partes ad Sanctissimum, ad effectum audiendi super præmissis ejus oraculum, porrecto pro parte Fratri Michaelis a Conceptione Procuratoris dicti Patris

Dat. 22. Dec. 1714. An. 15.

Species facti.

I. Decretum 1709. de revocatione Decretorum Capituli General. 1703. Constitutionibus adversantium.

II. Decretum 1709. de erectione Congregationis in veram Religionem.

Rode-

III. Decretum 1714. de confirmatione relatorum Decretorum, & electione Superiorum, aliisque nonnullis.

Roderici Sanctitati Suae supplicii Libello, & iterum delegata negotii cognitione Sac. Congregationi deputata, & suscepto in locum Eminentiſſ. Gabriellii, Eminentiſſ. D. Cardinali S. Prisca, sub die 5. Februarii 1714., auditis Partibus, tam in voce, quam in scriptis, prodiit Decretum tenoris, qui sequitur -- Sac. Congregatio Particularis praedicta persistit in Decretis sub die 12. Aprilis 1709., nempe quoad revocationem Decretorum aſſerti Capituli Generalis Guathamala in ea parte, in qua sunt contraria Constitutionibus Apostolica auctoritate confirmatis, servantur omnino Constitutiones; Et insuper declaravit, & decrevit, Capitulum Generale omnino esse convocandum, in quo eligatur novus Generalis, servata forma Constitutionum auctoritate Apostolica confirmatarum, & per vota secreta omnium Capitaliarum exquiratur, an expediat Religioni, quod in posterum Generalis sit ad sexennium, seu potius ad novennium, exclusa omnino perpetuitate Generalatus. Quoad duos Vice-Praefectos Generales Mexici, & Lima serventur Constitutiones. Quoad electionem Praefectorum localium pariter serventur Constitutiones. Quoad votum Assistentium esse decisivum ad formam Constitutionum. Quoad Vicarium Generalem per mortem Generalis pariter serventur Constitutiones. Quoad etatem eligendorum in Praefectos, & Magistros Novitiorum detur facultas dispensandi Praefecto Generali cum Voto Assistentium; Quo vero ad concernentia erectionem Congregationis Bethlehemicae in veram Religionem, satis provisum per Decretum hujusmet Congregationis sub die 8. Novembris 1709. confirmatum per Breve Apostolicum -- Et die 27. Februar. 1714., facta relatione Sanctissimo Sanctitas Sua approbavit, & mandavit expediri Breve. Adversus quas resolutiones pro parte P. Roderici a Cruce, seu potius Fratris Michaelis a Conceptione ejus Procuratoris habito usque de Mense Martii proxime elapsi recurſu ad Sanctissimum Dominum Nostrum, & per Sanctitatem Suam benigne remissa causa cognitione ad Sac. Congregationem Generalem Episcoporum, & Regularium, cum pluries pro parte Fratris Francisci a S. Antonio fuerit intimata propositio, ejusque sub die 22. Maji mandaverit Sac. Congregatio, quod proponeretur omnino in prima, & ad petitionem Fratris Michaelis a Conceptione duorum, & ultra Mensium spatio dilata existerit, reposita causa per eundem Eminentiſſimum Ponentem, eadem S. Congregatio, Partibus in voce, & in scriptis acerrime informantibus super infrascriptis Dubiis -- Primo. An sit locus reformationi Brevis Sanctiss. D. N. super erectione Congregationis Bethlehemicae in Religionem editi die 3. Aprilis 1710. -- Secundo. An sit standum, vel recedendum a Decisis super aliis Resolutionibus capituli in S. Congregatione Particulari die 5. Februar. 1714. -- Respondit: Primum: Quoad: Nihil de praesens Reformatione Brevis, & ad mentem, quae est, quod detur optio iis, qui actu sunt in Congregatione, vel emittendi Vota solemnia, vel remanendi in eadem Congregatione obnoxii prioribus Votis. In reliquis Fratre Francisco a S. Antonio tantum informante, & Fratre Michaelae a Conceptione diu expectato, & continuis intimationibus laesisto informare recitante, eadem S. Congregatio in Decisis in omnibus, & hujusmodi Causam amplius non proponi mandavit, prout praesentis Decreti vigore amplius non proponi mandat, ac praecipit. Romae 17. Augusti 1714. F. Card. de Abdua -- Ferdinandus Archiep. Nicenus Secr.

Preces Procuratoris partis victricis.

num desideret: Nos specialem ipsi Francisco gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, Decreta praesentia auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robor adjicimus.

§. 2. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis Liman., & Mexican. in solidum, ac dilectis itidem filiis eorum Officialibus, & in eorum defectum primae Dignitati, seu antiquiori Canonico uniuscujusque Ecclesiae Archiepiscopalis per praesentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios praesentes Literas, & in eis contenta quaecumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte in praemissis interesse habentium, seu alicujus eorum desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate nostra praesentes literas, & in eis contenta hujusmodi ab illis ad quos spectat, & spectabit in futurum inviolabiliter, & inconcussè observari, omnesque, & singulos, quos ipsae praesentes Literae concernunt, praemissorum omnium, & singulorum commodo, & effectu pacifice, frui, & gaudere, non permittentes illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel inquietari. Contradictores quolibet, & rebelles per censuras, & poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia, appellatione postposita compeſcendo, legitimisque super his haberi. servatis processibus censuras, & poenas ipsas, etiam iteratis vicibus reaggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii Saecularis.

§. 4. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papae VIII. Praedecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore praesentium in Judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit d. Congregationis Bethlehemitarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanfuris, ad praemissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earundem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personae in Ecclesiastica

Confirmatio relatorum Decretorum.

Clausula cum deputatione Executorum.

dignitate

1714.
& 1715.

dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXII. Decembris MDCCXIV. Pontificatus nostri anno Decimoquinto.

CXXXIX.

Communicantur Provinciæ Bohemiæ, Moraviæ, & Lusatiæ Ordinis Cisterciensis privilegia a Gregor. XIV. Congregationi S. Bernardi Hispaniarum concessa; & ab Urb. VIII. ad Congregationem Superioris Germaniæ ejusdem Ordinis extensa.

Gregorii XIV. Constitutio hic refertur. Et Constitutio Urb. VIII. ed. fuit 1624. Jun. 10. Hujus Pontificis Const. ed. 1710. Sept. 25. P. 10. confirmata fuere quedam Officia SS. pro Congregat. S. Bernardi. Const. ed. 1716. Oct. 8. P. 16. communicantur indulgentiæ Ordinis Provinciæ Silesiæ. Et Bened. XIII. Const. ed. 1728. Jan. 25. P. 5. confirmantur Privilegia Ordinis.

Dat. 7. Martii
1715. An. 15.

C L E M E N S P A P A X I .

Ad perpetuam rei memoriam.

Dudum a fel. rec. Gregorio PP. XIV. Prædecessore nostro ad favorem totius Congregationis Regularis Observantiæ Ordinis Cisterciensis. Regnorum Hispaniæ emanarunt literæ tenoris, qui sequitur, videlicet:

Constitutio
Greg. XIV.

§. I. GREGORIUS PP. XIV. *Ad perpetuam rei memoriam.* Romanus Pontifex Religiosorum Congregationibus, illarumque personis, præsertim sub regulari observantia, & reformatione Altissimo famulantium a Sede Apostolica concessa privilegia nedum confirmare, & approbare, sed & alia aliorum Ordinum Regularibus personis, & piis locis concessa ad eos quandoque extendere, & ampliare consuevit, prout eorundem Religiosorum vota exposcunt, & ipse conspiciet in Domino salubriter expedire. Sane dilecti filii Generalis Reformator, Abbates, Priores, & Monachi totius Congregationis Regularis observantiæ S. Bernardi Ordinis Cisterciensis Regnorum Hispaniæ Nobis nuper exponi fecerunt, quod cum alias per fel. rec. Martinum V. Eugenium IV. nonnullosque alios Romanos Pontifices Prædecessores nostros, seu Sedem prædictam diversa privilegia, gratiæ, & Indulta tam eidem Ordini Cisterciensi, quam dictæ Congregationi, eorum Monasteriis, Domibus, personis, & locis generaliter, & specialiter, ac particulariter concessa, seu forsitan per eosdem, & novissime per piæ me. Sixtum PP. V. Prædecessorem nostrum confirmata, & approbata, ac innovata, & extensa, seu ampliata fuerint, prout in literis Apostolicis desuper confectis plenius continetur. Cum autem firmius subsistant ea, quæ sæpius Apostolico fuerint roborata munimine, cupiunt præfati Generalis, Abbates, Priores, & alii utriusque sexus dictæ Congregationis personæ pro illorum subsistentia firmiori, per Nos confirmari, & approbari, necnon pro ipsorum Generalis, & personarum Regularium ejusdem Congregationis consolatione, & Religionis augmento quæcumque tam eidem Cisterciensi, quam quibusvis aliis similium, vel dissimilium Ordinibus, & Religionibus, eorumque Congregationibus, & Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, piis, ac charitativis locis, illorumque quibusvis Superioribus, ac utriusque sexus Regularibus personis concessa Privilegia, facultates, & Indulta quæcumque & qualiacumque sint ad præfatum Congregationem Regularis Observantiæ S. Bernardi, illius

Referuntur
Pontifices a
quibus concessa
fuere privilegia
Ordinis Cisterciensis
& Congregationi
S. Bernardi.

Monasteria, & quascumque utriusque sexus Regulares personas extendi, illasque, & illa eis communicari. Quare pro parte dictorum Generalis, Reformatoris, Diffinitorum, Consiliarium, Visitationum, Abbatum, & aliarum dictarum personarum Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eorum desiderio annuere aliasque in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur: Nos qui Regularium votis, præsertim Religionis augmentum cernentibus libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, singulorum privilegiorum, gratiarum, & indulgentiarum, ac desuper confectarum literarum hujusmodi tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, necnon Generalem Reformatorem, Diffinitores, Consiliarios, Visitatores, Abbates, Priores, Monachos, eorumque utriusque sexus Regulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata fuerint ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum ferre absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati omnia, & singula cujusvis generis privilegia, prærogativas, concessionem, & facultates, exemptiones, & libertates, conservatorias, immunitates, & indulta, absolutiones, dispensationes, & peccatorum remissiones, Indulgentias, etiam plenarias, ceterasque gratias spirituales, & temporales, etiam per modum communicationis, ac extensionis dicto Ordini Cisterciensi, ac hujusmodi Congregationi illorumque utriusque sexus Monasteriis, Domibus, Conventibus, Ecclesiis, Collegiis, piis & charitativis locis, rebus, & bonis, necnon Abbatibus, Generalibus, eorumque Capitulis, Diffinitoribus, Consiliariis, Visitationibus, Abbatibus, etiam quatuor primis Prioribus, Officialibus, Ministris, ac omnibus aliis eorum Superioribus, Prælatibus, Monachis, Monialibus, & illorum utriusque sexus singularibus personis in genere, & in specie, ac tam conjunctim, quam divisim, aut alias per præfatos, & quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & Nos, Sedemque Apostolicam, ejusque Legatos, & Nuncios sub quibuscumque tenoribus, & formis, etiam ad quorumvis Instantiam quomodolibet concessa, seu communicata, & extensa, necnon desuper confectas literas, ac scripturas quascumque cum omnibus, & singulis clausulis in eis contentis, quatenus sunt in usu, decretis Concilii Tridentini non adversantur, Apostolica auctoritate, ac ex certa nostra scientia tenore præsentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti, ac solemnitatum quarumcumque omisarum defectus, si qui forsitan intervenerunt in eisdem supplementis, & pro potiori cautela illa omnia, & singula in eis contenta, & comprehensa, cum illarum extensionibus, communicationibus, & ampliacionibus eidem Congregationi S. Bernardi, & singulis ejus Monasteriis, Domibus, Locis, eorumque Superioribus, & utriusque sexus Regularibus personis de novo concedimus, & de uno Monasterio eorum ad aliud concedendo sine ulla differentia extendimus; & insuper ob singularem reformationem, & observantiam dictæ Congregationis in ejusdem Monasteriis institutam, & conservatam, eosdem amplioribus favoribus decorare volentes omnia, & singula privilegia, prærogativas, concessionem, favores, facultates, declarationes, absolutiones, relaxationes, dispensationes, dationes, & Indulgentias etiam plenarias, ac peccatorum remissiones, conservatorias, immunitates, exemptiones, li-

Confirmantur
eadem privilegia,
& depono
conceduntur
d. Congregationi.Conceduntur
& communicantur
Congregationi
Hispaniæ, ad eam
que extenduntur
Privilegia omnia

bertates,

bertates, præminentias, & indulta cuiusvis generis existentia, cæteraque gratias spirituales, & temporales tam eidem Cisterciensi, ejusque Abbati, & Capitulo, etiam generali, etiam quatuor primis de firmitate Pontiniaco, Claravalle, & Morimundo; quam etiam in S. Benedicti, & quibusvis aliis similibus, vel Dissimilibus Ordinibus, & religionibus sub quibusvis Regulis, Constitutionibus, aut Ordinationibus degentibus, seu militantibus, & quibusvis illarum respective Congregationibus, Militiis, eorumque Professoribus, ac utriusque sexus eorum Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, necnon Collegiis, Universitatibus, Confraternitatibus, piis, ac charitativis locis, eorumque in quibusvis festivitatum, ac aliis diebus Ecclesias visitantibus, ac eorundem Religiosorum Generalibus, Præsidentibus, & quibusvis Superioribus, Prælatibus, & Capitulis, etiam Generalibus, Provincialibus, seu intermediis, ac quibusvis Officialibus, Rectoribus, Ministris, Monachis, Novitiis, Montalibus, Fratribus, Conversis, & Confratribus, Procuratoribus, Familiaribus, Benefactoribus, ac eorum & earum utriusque sexus regularibus Personis, tam in Urbe, quam in quibuscumque partibus Mundi consistentia, seu consistentibus, etiam illorum interitu, aut alias quomodolibet concessa, quibus de jure, usu, consuetudine, & privilegio, seu concessione Apostolica, Regia, vel Imperiali, Archiepiscopali, in genere, vel in specie ac tam conjunctim, quam divisim, etiam per solam Signaturam, vel vivæ vocis oraculo, aut per viam communicationis, & extensionis, & motu proprio, aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere quomodolibet possunt, quorum tenores præsentibus habere volumus pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis, etiam si talia sint, vel forent, quæ specialem, & individuum requirerent mentionem, seu particularem inscriptionem ad primordiam Congregationem regularis Observantiæ S. Bernardi, ac singula illius tam virorum, quam mulierum Monasteria, illorumque quoscumque Superiores Prælatos, & utriusque sexus quoscumque regulares, & singulares personas, ita, quod dicta Congregatio Sancti Bernardi, ac utriusque sexus ejus Monasteria, Prioratus, Grangie, Domus, Ecclesias, Collegia, pia, & charitativa loca, Sanctorumque festivitates, Conventus, & Capitula, etiam generalia, & particularia, vel intermedia, Generalisque Reformatores, Diffinitores, Consilarii, Visitatores, Abbates, Abbatissæ, Priores, & quicumque alii superiores Officiales, & ministri, Monachi, Moniales, Novitii, Fratres, Conversi, Donati, Oblati, Commissi, Familiares, Confratres, Procuratores, ac negotiorum Gestores, Benefactores, & aliæ singulares utriusque sexus regulares personæ, ac eorum res, & bona sub eorum cura, & secundum ejusdem Congregationis Instituta nunc, & pro tempore viventes, & existentes cum præmissis omnibus, & singulis æque pariformiter respective, & absque ulla prorsus differentia singula singulis concernentia, perinde ac si ea omnia illis, & eorum singulis principaliter, & expresse, & non ad instar concessa fuissent, ac si in eis talis Ordo, & Congregatio S. Bernardi primordiat, illiusque Capitula, Monasteria, Ecclesiæ, dictique Superiores, Prælati, ac utriusque sexus dictæ personæ, res, & bona expressa, & prænominata fuissent, & essent, ac si pro, & in favorem eorundem a Sede Apostolica in principio emanassent, & fuissent immediate concessa (in quantum eidem Congregationi expediat, ejusque gubernio, Constitutionibus, & Definitionibus non adversentur) uti, frui, & gaudere libere, & licite possint, & valeant auctoritate, & tenore præfatis concedimus, & indulgemus, illaque omnia, & singula

eis, & eorum cuilibet, eisdem auctoritate, & tenore similiter perpetuo extendimus, & communicamus. Decernentes præsentibus literas nullo unquam tempore quovis quæsito colore, & ingenio de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel alio defectu, notari, argui, vel impugnari posse, neque sub quibusvis similibus gratiarum revocationibus, limitationibus, & suspensionibus, aut contrariis dispositionibus pro tempore emanandis minime comprehendi, sed semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validum statum, etiam sub dat. per superiores dictæ Congregationis S. Bernardi eligentissimas, & denuo concessas fore, ac suos plenarios effectus fortiri, & inviolabiliter observari: sicque, & non aliter per quoscumque Judices quavis auctoritate fungentes, etiam locorum ordinarios, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-legatos, Sedis Apostolicæ Nuncios, & Causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, definiri debere; irritum quoque, & inane, si secus super his a quopiam quavis auctoritate fungente, scienter, & ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus Venerabilibus Fratribus nostris Toletano, & Burgenfi Archiepiscopis, necnon dilectis filiis Salmanticensis Universitatis Scholastico, & Abbatibus Monasteriorum S. Martini Compostellanæ, & Sancti Vincentii Orensis Diocesis Ordinis Sancti Bernardi, & Causarum Camera Apostolicæ Generali Auditori per præsentibus committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, vel unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentibus literas ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Generalis, Reformatoris, Abbatum, Priorum, & Monachorum præfatorum, aut alicujus eorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem præsentibus literas, & in eis contenta quæcumque inviolabiliter observari, ac plenum effectum sortiri; necnon Generalem, Abbates, Priores, & Monachos, aliosque præfatos, ac eorum singulos omnibus præmissis frui, & gaudere, non permittentes, & eorum quemlibet desuper contra præsentium tenorem sub quovis prætextu, vel subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel defectu intentionis nostræ per quoscumque quomodolibet molestari, perturbari, vel impediri: Contradictores quoscumque, & Rebelles, etiam per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione quacumque postposita compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus præmissis, & de non expediendis literis super Indulgentiis ad instar, ac piæ me. Bonifacii VIII., etiam Prædecessoris nostri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, aliisque Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quorumvis Ordinum, Congregationum, Monasteriorum, & Regularium locorum præfatorum, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis alia roboratis, statutis, consuetudinibus, declarationibus, & inhibitionibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam Legatis, Nunciis, & Ordinariis, & Ordinibus præfatis, eorumque Superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, etiam in fundatione, vel dotatione obtentis, ac cum quibusvis etiam annullativis, cassativis, & infectivis, declarativis,

exceptivis,

exceptivis, modificativis, & mentis attentativis, & etiam communicationis, prohibitionis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis irritantibus, ac etiam derogatoriarum derogatoriis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, ac alias quomodocumque per Prædecessores nostros, & Nos, Sedemque Apostolicam, etiam motu simili, & consistorialiter, aut alias in contrarium præmissorum quomodolibet pro tempore concessis, confirmatis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis; Quibus omnibus illorum omnium, & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, & infererentur, & non per clausulas generales idem importantes præsentibus pro sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permanfuris hac vice dumtaxat harum serie specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquis communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possit per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, ut earundem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus ex Scribis præfatorum Abbatum, aut Prælatorum, vel Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Monasterii dictæ Congregationis S. Bernardi, aut alterius personæ in dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur in iudicio, & extra illud, ac ubique locorum, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVI. Junii Pontificatus Nostri Anno Primo.

Relata Constitutio extensa fuit ad eandem Congregationem Superioris Germaniæ.

§. 2. Et subinde piæ mem. Urbanus PP. VIII. pariter Prædecessor Noster prædictas Gregorii Prædecessoris literas toto illarum tenore inserto ad universam Congregationem ejusdem Sancti Bernardi Ordinis prædicti Superioris Germaniæ sub certis modo, & forma tunc expressis perpetuo extendit, & ampliavit, & alias prout in ejusdem Urbani Prædecessoris desuper in simili forma Brevis die 10. Junii 1624. expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus plenius continetur.

Preces Monachorum Bohemæ, Moraviæ, & Lusitanæ.

§. 3. Cum autem sicut dilecti filii moderni Abbates, & Monachi Provinciæ, seu Vicariatus Regni Bohemæ, Moraviæ, & utriusque Lusitanæ Ordinis prædicti Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Privilegiorum, Indultorum, & Indulgentiarum huiusmodi communicationem ad eorum Monasteria, & personas per Nos extendi plurimum desiderent. Nos ipsorum exponentium votis in præmissis quantum cum Domino possumus annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, suspensionibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium, qui relationem dilecti filii moderni Procuratoris Generalis Ordinis prædicti super præmissis eisdem Cardinalibus factam attenderunt consilio, concessionem, seu communicationem privilegiorum, Indultorum, Indulgentiarum, & peccatorum remissionum, aliarumque gratiarum spiritualium, & temporalium prædictæ Congregationi Regularis Observantiæ S. Bernardi Ordinis Cisterciensium Regnorum Hispaniæ, illiusque

Communio præd.

Superioribus Monachis, & personis ab eodem Gregorio Prædecessore per literas præsentibus factam, & a memorato Urbano Prædecessore ad universam Congregationem Superioris Germaniæ Ordinis huiusmodi respectivè extensas, & ampliatas, ut præfertur ad Provinciam, seu Vicariatatum huiusmodi, illiusque Superiores, Monachos, & personas Ordinis prædicti ad limites prædictarum literarum auctoritate Apostolica, tenore præsentium extendimus pariter, & ampliamus, illaque omnia, & singula eidem Provinciæ, seu Vicariatu, aliisque ejusdem Ordinis subjectis, & subjiciendis Monasteriis, quatenus tamen sint in usu, neque revocata, minusque sub aliquibus revocationibus comprehensa fuerint, communicamus; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausula.

§. 4. Decernentes easdem præsentibus Literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obrinere, ac omnibus, quos illæ concernunt, ac concernent quomodolibet in futurum in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliis omnibus, & singulis, quæ in præsentibus, & aliis Urbani Prædecessoris literis concessa sunt non oblitare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Martii MDCCXV. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

Confirmantur Constitutiones Instituti, & Academiæ Scientiarum in Urbe Bononiensium, cum concessione privilegiorum, & nonnullis Ordinationibus.

CXL.

Const. ed. 1711. Oâ. 8. P. 11. confirmata fuere Statuta Academiæ Picorum, Sculptorum, & Architectorum in d. Urbe. Et Constit. ed. 1718. Apr. 23. P. 18. confirmantur Constitutiones Academiæ Theologicæ Romane Urbis.

CLEMENS PAPA XI.

Dat. 12. Junii 1715. An. 15.

Ad perpetuam rei memoriam.

Superni dispositione consilii, quo cælestia prorsus, ac terrena omnia providentissime gubernantur, in sublimi Apostolica dignitate fastigio meritis licet imparibus, collocati, inter multiplices Pastoralis vigilantia nostræ curas, excitandis ubilibet, ac promovendis laudabilium disciplinarum, bonarumque artium studiis libenter intendimus, per quæ depulsa ignorantia caligine, mortalium mentes luce veritatis illustrantur, populorum bonum augetur, juventutis ingenia ob otii torpedine, vitiorumque illecebris avocantur, ac ingenuis, & Reipublicæ utilibus scientiis exulta, ad eam honoris amplitudinem aliquando perveniunt, ut non sibi tantum, sed

Exordium a studio promovendarum laudabilium disciplinarum, & bonarum artium.

suo

quo etiam natali solo præclaram, nulloque annorum decursu abolendam nominis famam, atque celebritatem conciliari nostro; peculiarem tamen Pontificii muneris nostri sollicitudinem adhibemus, ut ad eadem studia in illis præsertim locis impensus exercentur, & vigeant, quæ ad opatum fructum producendum magis idonea, ac opportuna esse possunt; sicut omnibus maturæ considerationis tractina perpensis ad omnipotentis Dei gloriam, ac hujus S. Sedis dignitatem, nostrorumque potissimum, & ejusdem Sedis etiam in temporalibus, subditorum decorem, commodum, ac utilitatem expedire, in Domino arbitramur.

Laus Urbis
Bononien.

Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Comes Philippus Aldrovandus Civitatis nostræ Bononien. apud nos, & dictam Sedem Orator, quod non ita pridem in eadem Civitate, quæ omni fane tempore multis, magnisque refulsit ornamentis, in primis autem perantiquo, nobilissimoque insignita Gymnasio, Doctorum, & Scholarium ex omnibus Orbis Christiani partibus illuc confluentium multitudine, necnon illustrium in omni doctrinarum, artiumque genere virorum copia ita semper eximie floruit, quemadmodum, divina favente clementia, adhuc in præsens floret, ut honorificum illud, ac plane gloriosum *Matris Studiorum* vocabulum omnium consensu merito adepta fuerit; Civesque præterea genuit, in quibus tum singularis veræ Religionis cultus, tum etiam debita Romanis Pontificibus, dictæque Sedi fides, atque devotio mirum in modum perpetuo eluxerunt; Dilecti filii Reformatores status libertatis ipsius Civitatis Nobis annuentibus, ac sub auspiciis nostris erigendam curarunt in Aedibus ad id ex pecunia a Nobis præscripta, comparatis Academiam, Institutum scientiarum nuncupatam, quæ Mathematicarum, aliarumque ingenuarum disciplinarum, necnon Philosophiæ naturalis, & experimentalis studiis, & exercitiis, ac observationibus præcipuam, sedulamque navat operam: Ac in eisdem Aedibus collocari, & opportune, atque disponi fecerunt magnam vim selectorum voluminum variarum, præsertim Orientalium linguarum, tam typis editorum, quam manu conscriptorum, veteres insuper non paucas ex marmore, ac ære Statuas, Artium, munitio- numque modulos, Testacea, Metallica, & mineralia, seu fossilia, aliaque plurima conspiciui valoris utensilia, tum ad Mathematicas disciplinas, tum etiam ad militarem Architecturam, physicaque experimenta rerum naturalium, & ad cognitionem antiquitatis pertinentia, quæ dilectus etiam filius Comes Aloysius Ferdinandus Marcellus Nobilis Bononienfis, ac dudum primus ex Generalibus Pontificiæ nostræ Militiæ Præfectis summa cura, ingentique sumptu hunc ipsum in scopum ex variis mundi regionibus a se conquesta, ac in unum collecta, pro singulari, perpetuoque suo erga Patriam, & bonas artes studio, non sine magna sui nominis gloria prædictæ Academiæ liberaliter dono dederat, ut in publicis ejusmodi donationis tabulis die 11. Januar. anni 1712. per dilectos pariter filios Jacobum Antonium Bergamorum, & Josephum Cajetanum Gardinum publicos dictæ Civitatis Notarios confectis uberius dicitur contineri; Quia etiam iidem Reformatores præfati Donatoris voluntati inhaerentes, Accademix Præsidentem, Secretarium, Professores Artium, & alios opportunos Ministros elegerunt, a quibus præscripta studia laudabiliter exerceri jam cepta sunt; Ac insuper ex ipsorum Reformatorem numero Cæterum, seu Congregationem assumptorum nuncupatam deputarunt, quæ ejusmodi Academiæ studiorum salubri directioni, necnon illius bonorum, & proventuum

quorumcumque, ac præsertim reddituum quorundam Officiorum in eadem Civitate olim ectorum, quæ nos peculiari nostro Chirographo die 16. Februarii proxime præterito expedito sub certis modo, & forma tunc expressis abolevimus, extinximus, & suppressimus, eorumque emolumenta tam ordinaria, quam extraordinaria, & alia quæcumque Regimini, seu Magistratui ejusdem Civitatis perpetuo applicavimus, & assignavimus, ea speciali adjecta lege, ut in usum, commodum, & utilitatem prædictæ Academiæ, & alios usus, ex integro perpetuis futuris temporibus erogari debeant, reatæ, providæque administrationi præest, & diligenter incumbit. Novissime vero prædicti Reformatores, ut eadem Academia feliciter in posterum gubernetur, & majora in dies, benedicente Domino, suscipiat incrementa, nonnullas Constitutiones, seu Statuta condidit, ac in unum volumen redigi fecerunt, eaque matura præhabita deliberatione, subinde approbarunt peculiari Decreto, cujus necnon earundem Constitutionum, seu Statutorum tenor est, qui sequitur, videlicet.

Constitutio-
nes ann. 1711.
editæ, & pos-
tea reforma-
tæ, approba-
tæ fuerunt a
Reformatori-
bus sequenti
Decreto.

§. 7. Insuper quo plenius, ac uberius felici prædictæ Academiæ, seu Instituti scientiarum statui, atque gubernio, necnon rectæ illius bonorum, & proventuum quorumcumque administrationi perpetuis futuris temporibus consultum sit, harum serie statuimus, & mandamus, ut a memorato cœtu, seu Congregatione Assumptorum nuncupatorum in fine cujuslibet anni, qua par est, sedulitate, ac fide conficiatur status Æconomicus ejusdem Academiæ, necnon accurata exaretur relatio observationum, ac experimentorum factorum, singularumque rerum memorabilium, quæ in eadem Academia eo anno contigerunt, ut fructus, qui ex peractis studiis perceptus fuerit, constare possit. Ejusmodi vero statum Æconomicum, & relationem ab eodem cœtu, seu Congregatione Assumptorum exhiberi subinde volumus antedictis Reformatoribus, necnon moderno, & pro tempore existenti in Civitate, & Comitatu Bononiensi nostro, dictæque Sedis de Latere Legato, quibus injungimus, ut tam statum Æconomicum, quam relationem prædicta simul diligenter examinent, atque discutiant, & si quid pro meliori dictæ Academiæ regimine corrigendum, præcipiendum, seu statuendum esse censuerint, pro tradita sibi a Domino prudentia corrigere, præcipere, atque statuere non omissant, ejusque bonum, utilitatem, & incrementa, quantum in ipsis erit, omni cura, studio, ac ope promoveant.

§. 8. Decernentes easdem præsentis literas, & Constitutiones, seu statuta præinserta semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis, ac eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus prædicti Lateranensis Concilii novissime celebrati de tertio Notariorum numero cui per hoc alias derogare non intendimus, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Collegii dictorum Notariorum, ac prædictæ Civitatis, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 10. Volumus autem, quod dictus Lælius modernus, ac pro tempore existens prædictæ

Præceptum
conficiendi
singulis an-
nis statum
æconomicum,
& relationem
observationum,
& experi-
mentorum.

Clausula.

Mandatum
emittendi
professionem.

Academiæ,

Academiæ, seu Institutum scientiarum Præses, antequam gratia creationis in nostrum, & Sedis prædictæ Notarium illi, ut supra, concessa perfrui valeat, in manibus alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ professionem fidei juxta articulos pridem a dictâ Sede propositos expresse emittere, & solitum fidelitatis juramentum præstare omnino teneatur.

§. 11. Quodque earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Junii MDCCXV. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

CXLI.

Confirmatur Decretum Capituli Gen. Monachorum Congregationis Fulien. de mutatione Sandaliorum in calceos.

A Paulo V. Const. ed. 1608. Mar. 28. P. 3. concessa fuit facultas consuecendi Ceras Agnus Dei.

C L E M E N S P A P A X I .

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 15. Junii
1715. An. 15.Decretum
præd. cum
ejus causis.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Petrus a S. Catharina Prior Provincialis Provincia Aquitanicæ Monachorum Congregationis Fulien. Ordinis Cisterciens., quod cum habita in novissimo Capitulo generali ejusdem Congregationis anno proxime præterito in Abbatia S. Maximini prope Civitatem Aurelianen. celebrato, super usu deferendi Sandalia, pluribus abhinc annis in dictâ Congregatione introducto, matura deliberatione, compertum fuisse, usum Sandaliorum hujusmodi, non solum generali Monachorum cæterarum Congregationum Monasticarum, ac præsertim Congregationis Reformatæ S. Bernardi Ordinis præfati, qui calceos communiter gestant, consuetudini contrarium esse, verum ipsimet etiam Regulæ S. Benedicti Cap. 55. sub qua Monachi primordiæ Congregationis vivunt, adversari, plurimumque ipsorum Monachorum valetudini obesse, atque multiplicia exinde incommoda in laudabilem supradictæ Congregationis Institutum perniciem provenire, his omnibus in prædicto Capitulo generali Sess. XIII., & XIV. rite discussis, & accurate perpenfis, pro bono ejusdem Congregationis regimine, ac Monasticæ in ea disciplinæ progressus charissimo etiam in Christo filio nostro Ludovico Francorum Rege Christianissimo id ipsum suadente, decretum fuit (reservato tamen nostro, & hujus Sanctæ Sedis beneplacito) ut usus Sandaliorum ejusmodi in usum calceorum, deinceps commutaretur, sicque sublato Sandaliorum discrimine inter utramque Congregationem prædictam memorati Ordinis Cisterciens., in usu, ac delatione calceorum uniformitas induceretur. Quare præfatus Petrus Prior Provincialis Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 1. Nos igitur ipsius Petri Prioris Provincialis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis oc-

casione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui dilectum pariter filium Procuratorem Generalem Congregationis, & Ordinis præfatorum audiverunt, consilio, prænarratum Decretum super commutatione usus Sandaliorum in usum calceorum a d. Capitulo generali, ut præfertur, editum ita tamen ut calcei per Monachos Congregationis, & Ordinis hujusmodi gestandi humilitatem, & simplicitatem Monasticam omnino præferant, auctoritate nostra Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

§. 2. Decernentes eadem præsentem literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectively inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. prædictæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Congregationis Fulien., & Ordinis prædictorum, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XV. Junii MDCCXV. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

Confirmatur Decretum Magistri Gen. Ordinis Prædicatorum pro abolitione alternativæ in electione Provincialis Provincia S. Antonini Novi Regni Granaten.

CXLI.

Const. ed. 1712. Jul. 2. P. 12. concessum fuit suffragium singulis Prioribus dictæ Provincia. Et Inn. XIII. Const. ed. 1722. Apr. 24. P. 1. conceduntur octo gradus Magisterii pro Provincia Mexicana.

Confirmatio
relati Decre-
ti.

Clausula.

Dat. 2. Osi
1715. An. 15.

C L E M E N S P A P A X I .

*Ad futuram rei memoriam.*Refertur d.
Alternativa
a Magistris
Gen. instituta,
ejulque
abolitionis
causæ.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Joannes de Olarte Diffinitor, & Procurator, necnon Fratres Provinciae Sancti Antonini Novi Regni Granaten. in Indiis Occidentalibus Ordinis Prædicatorum, quod cum occasione confirmationis actorum Capituli Provincialis an. 1710. super electione Prioris Generalis celebrati nonnullæ difficultates super executione Alternativæ a dilecto filio Antonino Cloche Magistro Generali dicti Ordinis ad favorem Fratrum filiorum Conventus de Tunza nuncupat. Provinciae, & Ordinis prædicatorum concessa tam pro parte eorumdem exponentium, quam etiam dilectorum eisdem filiorum Fratrum Sanctæ Fidei, & Carthaginen., ac ejusdem de Tunza Conventuum Ordinis prædicti memorato Antonino Magistro Generali representata, eique alia inconvenientia, circa novam, & antiquam Alternativam allegata fuissent, ad hoc, ut ipse circa præmissa pro sua prudentia illud, quod in Domino expedire censeret, decerneret, prædictus Antoninus Magister Generalis quamcumque Alternativam pro electione dicti Prioris Provincialis tam a se, quam à prædecessoribus suis Magistris Generalibus, & præsertim a bon. mem. Joanne Thoma Roccaberti, dum vixit Archiepiscopo Valentini, qui in minoribus constitutus Magistri Generalis dicti Ordinis Officio functus fuerat, stabilitam, abolevit, cassavit, & revocavit, ab observari minime voluit, & præcepit. Itaut in posterum ii solum, qui ex filiis cujuscumque Conventus dictæ Provinciae digniores, & aptiores ad Provincialatus munus observandum judicabuntur, nullo habito respectu filiationis hujus, vel alterius Conventus in Priores Provinciales eligantur, & alias prout uberius continetur in ipsius Antonini Magistri Generalis Decreto desuper edito, tenoris, qui sequitur videlicet.

Decretum
Magistri
Gen. pro
abolitione
præfate
Alternativæ
an.
1715. editum.

In Dei filiis sibi dilectis RR. Admodum PP. Magistris, Prioribus, Præsentatis, Prædicatoribus Generalibus, cæterisque Patribus, & Fratribus Provinciae nostræ S. Antonini de Novo Regno Granat. Ordinis Prædicatorum - Fr. Antoninus Cloche Sacræ Theologiæ Professor, ac ejusdem Ordinis humilis Magister Generalis, & Servus - Cum occasione novæ Alternativæ in favorem filiorum Conventus de Tunza pro electione Provincialis servandæ, & a Nobis concessæ in confirmatione actorum Capituli Provincialis anni 1710. Nobis exponatis plures difficultates occurrere in illius concessionis executione, ac pro parte filiorum Conventus Sanctæ Fidei, filiorum Conventus de Carthago, ac filiorum Conventus de Tunza, circa Alternativam tam novam, quam antiquam aliqua allegata sint, ut nostro iudicio relinquentes, quod magis expediens fuerit resolveremus; Ideo bono Provinciae regimine, & gubernio providere volentes, visis, & consideratis pro utraque parte allegatis, ac ipsarum petitionibus tenore præsentium, nostraque auctoritate officii aboleamus omnem, & quamcumque Alternativam pro electione Provincialis in vestra Provincia stabilitam, sive a Nobis, sive a Prædecessoribus nostris, præsertim bon. mem. Reverendissimum de Roccabertis, illamque omnino revocamus, ac in posterum non observari volumus. Itaut in Provinciales eligantur ii solum, qui ex filiis cujuscumque sint Conventus, digniores, & aptiores ad prædictum officium judicabuntur, nullo habito respectu filiationis hujus, vel alterius Conventus, sic de cætero fieri præcipimus sub pœna nullitatis electionis, si aliter fiat, imponentes partibus super hujusmodi negotio perpetuum silentium. In

Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Non obstantibus dictis concessionibus, & aliis quibuscumque. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Conventu nostro Sanctæ Mariæ super Minervam die 11. Augusti 1715. - Fr. Antoninus Cloche Magister Ordinis - Fr. Thomas Ripoll Magister Provincialis Terræ Sanctæ, & Socius - Locus Sigilli - Registrat. fol. 8.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent. Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium, qui dilectum filium modernum Procuratorem Generalem dicti Ordinis super præmissis audiverunt, consilio, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Preces
Patrum
Provinciæ.Confirmatio
relati
Decreti.

Clausula.

§. 2. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Conventuum, Provinciae, & Ordinis prædicatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Octobris MDCCXV. Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

Confirmatur Constitutio Innoc. XI. approbans Statuta Card. Protectoris pro Reformatione Provinciae Pedemontanæ Fratrum Carmelitarum Reformatorum.

CXLIII.

Laudata Const. ed. fuit 1687. Mar. 27. Pont. 11. Et hic refertur, eadem Statuta confirmata fuisse pro Provinciae Poloniae ab eodem Innoc. XI.

Bened.

Bened. XIII. Const. ed. 1724. Jul. 27. P. 1. inflituitur reformatio in Provincia S. Alberti Regni Siciliae. Et Const. ed. 1728. Mar. 26. P. 5. extant quaedam Ordinationes pro Reformatione dictae Provinciae Pedemontanae.

Dat. 26. Oct.
1715. An. 15.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Injuncti Nobis divinitus Pastoralis Officii ratio postulat, ut illis, quae ad confovendum Religiosorum Virorum, eorum praesertim, qui arctioris vitae zelo ducti primavum Religionis suae rigorem servare laudabiliter satagunt, propositum, juvandaque eorum religiosa studia, & in via Domini progressus ab hac Sancta Sede, pie, prudenterque emanarunt, quo firmitus subsistant, Apostolici muniminis Nostri patrocinium adjungamus, sicut in Domino expedire arbitramur.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Innocentius Papa XI. Praedecessor Noster nonnulla Decreta pro Reformatione tunc existentium Fratrum Provinciae Pedemontanae Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo a bo. mem. Palutio dum vixit S. R. E. Cardinali de Alteriis nuncupato dicti Ordinis apud eundem Innocentium Praedecessorem, & Sedem praefatam Protectorem edita per suas Literas in simili forma Brevis confirmavit, tenoris qui sequitur, videlicet:

INNOCENTIUS PAPA XI. Ad futuram rei memoriam. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Reformati Provinciae Pedemontanae Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, quod dilectus filius Noster Palutius S. R. E. Presbyter Cardinalis de Alteriis nuncupatus, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector, pro Reformatione dictae Provinciae jussu Nostro instituta auctoritate sibi ad id per Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita, attributa, nonnulla Decreta edidit tenoris, qui sequitur, videlicet: - Palutius de Alteriis S. R. E. Cardinalis totius Ordinis Carmelitarum Protector: Cum expositum fuisset Sanctitati Suae Reformationes primum in Conventu Taurinensi Ordinis Fratrum Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, deinde in aliis Conventibus Provinciae Pedemontanae a quadraginta circiter annis successive institutum sub observantia Constitutionum, a fel. mem. Urbano VIII. & Innocentio X. pro Conventibus in eodem Ordine Reformatis, & Reformandis, ita dilapsam esse, ut vix illius, vel leve mansisset vestigium, illa Nobis injunxit, ut isti Reformationi restaurandæ omnino provideamus. Ideo ad dictam Provinciam ablegavimus Rev. Patrem Valentinum a S. Joanne, Sacerdotem Professum Provinciae Aquitaniae, & Sacrae Theologiae Professore emeritum, qui postquam a mense Julio proxime praeterito Visitationi singularum Conventuum accurate, & diligenter incubuisset, eorum statum in spiritualibus, & temporalibus ad Nos transmisit, quo dignovimus, Disciplinae Regulari in ista Provincia propemodum extinctæ prompto, salutarique remedio subveniendum esse. Quocirca ut iustitiam Suae Sanctitatis pareamus, auctoritate per Sacram Congregationem Nobis commissa, sequentia ordinanda esse duximus: - Primo -- Quia in praesenti rerum circumstantia vix sperari potest, ut in omnibus Conventibus exacta praefatarum Constitutionum praxis restitui queat, tum ob quaedam Decreta, quæ Leges Municipales vocant, in variis successive Congregationibus, condita, & pluribus dictarum Constitutionum articulis adversantia, ideoque ab una parte Provin-

Tenor ipsarum literarum. Causa reformationis ab Inn. XI. instituta, & a Card. Protectore executioni mandata.

1. Statutum, quo defignantur quaedam Cœnobicia pro reformatione.

cia impugnata, & per aliam propugnata, tum ob tenuem affectum, quem plures Alumnorum Provinciae habent ad observandam disciplinam in iisdem Constitutionibus contentam, & aliunde nonnulli praedictorum Alumnorum ardentem aspirant ad sinceram, exactamque illarum observantiam, & a Nobis efflagitant, ut in uno, alterove Conventu congregati, & ab aliis sejuncti in perfecta, & literali Constitutionum praxi, prout Deo in sua professione polliciti sunt, viventes suæ obligationi satisfacere queant; Nos inherentes Decretis pro Provincia Narbonensi antehac factis per bo. me. Cardinalium Ginnetum Protectorem Ordinis, ac fel. rec. Urban. VIII. confirmatis per Breve datum 24. Februar. 1664. & Articulis conditis per P. Joannem Antonium Philippum Generalem 29. Septembris 1640. pro introducenda strictiori observantia in Conventibus, & Provinciis ex parte Reformatis, & Reformandis in dicto Ordine, ordinamus praefato Visitatori, ut eos, quos in conscientia ad id idoneos arbitrabitur, in Conventibus Astensi, Doglianensi, & Clarascensi constituat, & singuli illorum post collectionem decem dierum solemniter coram Sanctissimo Sacramento unam professionem renovabunt, & juxta *Artic. 15. cap. 5. part. 3. Constit. & art. 6. cap. fin. quest. 3.* dictarum Constitutionum juramento promittent, & in carta renovationis subscribent, se illas ad literam rursus amplecti, & cum Dei gratia se fideliter observaturos, manebuntque eo ipso immunes a quibuscumque legibus municipalibus, consuetudinibus, ac Decretis Congregationum Diffinitorialium Capitulorum Provincialium, & Generalium, etiam auctoritate Apostolica firmatis, conformiter dict. artic. 6. part. 4. Constitutionum in quantum sunt dictis Constitutionibus adversa, aut diversa -- Secundo. Quia comperitum est istius Reformationis excidium, & perniciem potissime ex usu Privilegorum, & praerogatiarum, quæ Graduatis conservata fuere, pervenisse, ne illa, quam Sanctissimus Dominus vult institui, simili periculo exponatur, ordinamus, quod nullus deinceps poterit ullum gradum scholasticum suscipere, nisi modo, & forma, ac sub conditionibus, exacteque servatis omnibus, quæ *Art. 10. Cap. 9. part. 1. dictarum Constitutionum praescribuntur: & si qui ex illis, qui in praefatis tribus Conventibus collabuntur, sint aliquo gradu scholastico insigniti, omnibus privilegiis, exemptionibus, & quibuscumque praerogatiis, quæ suis respective gradibus ex quacumque concessione, etiam Sanctæ Sedis, & Sacrae Congregationis competunt, in perpetuum scripto renunciabunt, quod & facient alii, qui ad dictam strictiorem observantiam ex aliis Conventibus servatis servandis posthac transire volent, omnesque se jurejurando adstringent nunquam in restitutione dictorum Privilegorum ob quamcumque causam se consensuros, sed illi semper oblituros, & si qui contra facerent (quod Deus avertat) eo ipso tanquam perjuri, & infames absque alia declaratione subiacebunt omnibus penis *dict. art. 10. cap. 9. part. 1. Constitutionum expressis.* Tertio. Praefatos tres Conventus colendæ isti strictiori observantiae addicimus, & in Astensi Novitiatum instituiimus, extra quem nullus sub poena nullitatis pro dicta Provincia investiri, & probari poterit, in aliis duobus, vel Seminario Juniorum Professorum, vel studia collocabuntur, qui omnes cum aliis postea aggregandis perpetuo regentur ab uno Vicario Provinciali immediate subjecto Patri Generali Ordinis pro tempore existenti cum potestate, & jurisdictione, nempe independentem a Provinciali, postulantes ad habitum, & Novitiatum, ac Novitios servatis servandis ad professionem admitteendi, Seminaria Juniorum Professorum instituendi; illos ad studia in Conventibus Reforma-*

2. Quo Praerogativa, & honorum gradus adimuntur.

3. Quo instituitur Vicarius Provincialis, & Cœnobicia pro juventute determinantur.

4. 5. 6. in quibus de electione præd. Vicarii, ejus muneris tempore, suffragio, & facultate.

7. In quo de electione Diffinitorū, & Socio Provincialis.

8. 9. in quibus de habitatione Fratrum.

10. in quo de Visitatione.

11. in quo de observantia Constitutionum, & vitæ communis.

tis mittendi; dignos ad Sacros Ordines præsentandi, necnon ad Conciones, & Confessiones audiendas admittendi, Fratres de uno Conventu ad alium Reformatum transferendi, & generaliter faciendi alia, latius expressa in dictis Brevi, & Articulis, quæ exacte in omnibus, & per omnia servanda erunt in dicta Provincia Pedemontana, ac si pro ea nominatim concessa, vel ordinata essent, nisi præsentibus sint contraria. Quarto. Vicarius Provincialis eligetur a personis, & modo præscriptis §. 20. artic. P. Philippi, non tamen is, qui in Capitulo terminabit Officium Provincialis, nec etiam in Provinciale eligi poterit, qui in Capitulo desinet esse Vicarius Provincialis. Quinto: semper Vicarius Provincialis manebit, etiam si Provincialis esset Reformatus, & independenter ab illo sua auctoritate fruetur, donec exacta Constitutionum observantia, perfectaque Reformatio in omnibus Conventibus Provinciæ instituta fuerit, habeatque vocem, & locum in Capitulo Provinciæ post Provinciale absolutum, & recens electum. Sexto: poterit singulis trienniis, sine cujuscumque consensu unum aliorum Conventuum Provinciæ istis tribus adjungere, si opportunum judicaverit, suosque Subditos, aliis remissis ad Patrem Provinciale, ut illis de Conventu provideat, collocare excepto aliquo sexagenario, si quis forsan ibi reperiretur, quo sic paulatim non fucata, sed sincera Reformatio introducatur. Septimo: Juxta Articulos P. Philippi semper erunt saltem duo Diffinitores ex Reformatis, qui in singulis Capitulis Provinciæ eliguntur ex quinque, quos Vicarius Provincialis, & duo Diffinitores absolvendi, & Priores Reformatorum cum suis Discretis nominaverint; si secus factum fuerit, primi duo ex nominatis eo ipso erunt primi Diffinitores Provinciæ. Similiter Provincialis electus, etiam si esset Reformatus, tenebitur eligere pro suo Assistente, seu Socio unum ex tribus, qui sibi a præfato Vicario duobus Diffinitoribus recens electis, & Prioribus præsentabuntur. Octavo: Non poterit Vicarius consentire, ut ullus suorum subditorum a quocumque Superiore Ordinis missus, etiam Studiis, Concionum, aut Regentiæ, vel alia quacumque causa vadat habitatum in Conventu, non observante dictas Constitutiones sub pœna depositionis ab Officio per Vicarium, & perpetuæ privationis vocis, & loci a Religioso migrante ubicumque inhabitet, incurrenda, qui etiam habebit pro Defectore Reformationis, nec vicissim Vicario fas erit aliquem non observantem dictas Constitutiones, a quocumque missus fuerit in Conventibus sibi subditis ad habitandum admitte, nisi præmissa annua probatione, aut forsan ad Conciones habendas tempore Adventus, & Quadragesimæ. Nono: Nullus etiam ex aliis Conventibus in istis tribus, & aliis successive aggregandis admitti poterit, nisi conformiter Constitutionibus §. 5. de regimine Provinciarum part. 3. Constitutionum, & §. 5. Artic. P. Philippi probatus fuerit per annum, gaudebit tamen, durante probatione suis voce, & loco, sed solum cum Patribus, & non cum Novitiis conversabitur. Decimo. Conventus semel in anno visitabuntur, nisi casus extraordinarius alius exigat, & quidem a solo Vicario Provinciali, cum Assistente singulis trienniis de consilio piorum Reformatorum a se assumendo. Undecimo: Virtute scriptorum Decretorum nec sunt, nec erunt liberi ab observatione Constitutionum Stricteris Observantiæ, qui illam in sua professione promiserunt, nec ab obligatione servandi vitam communem ii, qui jurejurando ipsi juxta Decretum fel. rec. Urbani Papæ VIII. de die 24. Februarii 1644. obstricti sunt, quia ab istis obligationibus eos solvere nec intendimus, nec possumus: Antefcripta Decreta in præfata Provincia Pedemontana præcepimus perpetuo servari. Da-

tum Romæ in Palatio Nostro die 24. Januarii Anno Domini 1686. sic signatum Palucius Cardinalis de Alteriis Protector - Loco ✕ Sigilli, & infra Georgius Gripparius Secretarius - concordat cum originali: Sic testor Romæ 27. Decembris 1686. Frat. Damascenus a Nativitate Beata Virginis Mariæ Notarius Apostolicus Ordinis Carmelitarum. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, Decreta hujusmodi subinde per Commissarios a Capitulo Generali Ordinis prædicti, novissime celebrato deputatos, post exactum illorum examen, digna reperta fuerint, quæ pro validiori introductione, & felicio-ri progressu dictæ Reformationis, Apostolica Confirmationis patrocinio, si ita Nobis placeret, munirentur: quinimo idem Capitulum Generale Decreta præinserta in Provincia Poloniæ dicti Ordinis observari ordinaverit. Et Nos illa per quasdam nostras in simili forma Brevis Literas pro eadem Provincia Poloniæ confirmaverimus; Nunc vero dicti Exponentes vereantur ne similis Apostolicæ Confirmationis defectu eorum Provinciæ Reformatio statim pereat, sicut alia, quæ annos triginta, vel circiter instituta fuerat, & multi Fratres, qui ad reformationem hujusmodi anhelañt, non audeant illam amplecti, nisi petita, & obtenta prius decretorum hujusmodi Apostolica Confirmatione. Nobis propterea Exponentes prædicti humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune provideri, & ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignemur; Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicii, alisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Decreta præinserta pro Reformatione præfate Provinciæ Pedemontanæ a memorato Palutio Cardinali, & Protectore edita, ut præfertur, cum omnibus, & singulis in eis contentis, & expressis, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac in eadem Provincia Pedemontana servari mandamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes easdem præfatas literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suorumque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respectively inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Provinciæ Pedemontanæ hujusmodi, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiisque quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVII.

Relata Decreta confirmata fuisse pro Provincia Poloniæ.

Item pro Provincia Pedemontana.

Preces Provincie, & causa sequentis Confirmationis.

Martii MDCLXXXVII. Pontificat. Nostri Anno Undecimo.

§. 2. Cum autem, sicut dilecti filii Fratres dictae Provincie Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi duos Conventus, ultra tres alios, quos possident, eidem Provincie uniri obtinuerint, ac proinde praesertim Innocentii Praedecessoris Literas, quo servantur exactius, & regularis observantia in eadem Provincia firmius solidetur, Apostolica confirmationis Nostrae praesidio communiri summopere desiderant; Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium super disciplina Regulari deputatorum consilio, praesertim memorati Innocentii Praedecessoris Literas, cum omnibus, & singulis in eis contentis auctoritate Apostolica, tenore praesentium confirmamus, & approbamus, & innovamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium.

Confirmatio Constitutionis Inn. XI.

Clausula.

§. 3. Decernentes easdem praesentes Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quae in praesertis Innocentii Praedecessoris Literis concessa sunt non obstante, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earundem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio, quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diocesis sub Annulo Piscat. die XXVI. Oasob. MDCCXV. Pontificatus Nostri Anno Decimo-quinto.

CXLIV.

Confirmatur Decretum Congregationis Episc., & Reg. quo denegatur separatio 5. Cœnobiorum a Provincia Aragoniae Fratrum Ordinis B. M. de Mercede.

Constit. ed. 1702. Mart. 29. P. 2. confirmatum fuit Decretum Card. Protectoris pro reformatione Constitutionum. Et Const. edit. 1719. Dec. 6. P. 20. confirmatur Decretum super habitu Fratrum Donatorum Congregationis Hispaniae.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

EManavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardina-

lium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita in causa dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum instantibus Religiosis quinque Conventuum Regni Navarrae dicti Ordinis pro gratia separationis, & dismembrationis dictorum quinque Conventuum a Provincia Aragoniae ejusdem Ordinis, eorumque erectionis in particularem separatam, ac novam Provinciam pro tempore existenti Magistro Generali Ordinis hujusmodi subjectam Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet - In Causa Fratrum Ordinis Beatae Mariae de Mercede instantibus Religiosis quinque Conventuum Regni Navarrae pro gratia separationis, & dismembrationis dictorum quinque Conventuum a Provincia Aragoniae, eorumque erectionis in particularem, separatam, ac novam Provinciam P. Generali Ordinis existenti pro tempore subjectam. - Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. Eccl. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita attenda relatione Eminentissimi Orthoboni ejusdem Ordinis apud Sanctam Sedem Protectoris, & audito P. Procuratore Generali, referente Eminentissimo Paracciano, distulit resolutionem, & censuit exquirendum Votum Capituli Generalis. Romae 6. Septembris 1709. - Iterum proposita Causa, & viso Voto Capituli Generalis, necnon perpensis rationibus per utramque partem informantem deductis, referente Eminentissimo Corsino in locum Eminentissimi Paracciani successore, Sacra eadem Congregatio rescripsit negative, & causam hujusmodi amplius non proponi mandavit. Romae 29. Novembris 1715. F. Cardinalis de Abdua - F. Archiepiscopus Nicensis Secret.

nobiliorum Provinciae Navarrae, ac erectionis novae Provinciae.

Decretum praedict. editum 1715. in specie facti refertur.

Preces Prioris Generalis

Confirmatio relati Decreti.

Clausula.

§. 1. Cum autem sicut pro parte dilecti etiam filii Magistri Francisci Mariae Bichi Vicarii, & Prioris Generalis dicti Ordinis Nobis subinde expositum fuit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subiluit, & servetur exactius Apostolicae Confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: Nos ipsum Franciscum Mariam Vicarium, & Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praesertim auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

§. 2. Decernentes easdem praesentes Literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confir-

Dat. 16. Dec. 1715. An. 16.

Petitione facta pro separatione 5. Coe-

Bullarii Romani Contin. Pars VI.

Bbb

matris,